

Nam pro voluptatibus, et pro illis quae parva ac fragilia sunt, et in ipsis flagitiis noxia, ingens gaudium subit, inconcussum, et aequabile; tum pax et concordia animi, et magnitudo cum mansuetudine. Omnis enim ex infirmitate feritas est.

IV. Potest aliter quodque definiri bonum nostrum, id est, eadem sententia, non iisdem comprehendi verbis. Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, et aut in cornua sinuata media parte curvatur, aut recta fronte explicatur: vis illi, utcunque ordinatus est, eadem est, et voluntas pro iisdem partibus standi: ita definitio summi boni alias diffundi potest et exporrigi, alias colligi, et in se cogi. Idem utique erit, si dixerò: Summum bonum est animus fortuita despiciens, virtute laetus: aut, invicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multa, et conversantium cura. Libet et ita definire, ut beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus: honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant: qui nullum majus bonum eo, quod sibi ipse dare potest, noverit; cui vera voluptas erit voluptatum contentio. Licet, si evagari velis, idem in aliam atque aliam faciem, salva et integra potestate, transferre. Quid enim prohibet nos beatam vitam dicere, liberum animum, et erectum, et interritum ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum? cui unum bonum honestas, unum malum turpitudò? Cetera vilis turba rerum, nec detrahens quidquam beatæ vitæ, nec adjiciens, sine auctu ac detrimento summi boni veniens ac recedens. Hunc ita fundatum necesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua, et lætitiâ alta atque ex alto veniens, ut quæ suis gaudeat, nec majora domesticis cupiat. Quidni ista penset bene cum minutis, et frivolis, et non perseverantibus corpusculi